AD CARDINALITIAM
QVÆSTIO MEDICA
MATVTINIS EXCVTIENDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS 29. MARTII. D. ÆGIDIO HERON SCHOLÆ PARISIENSIS DECANO MODERATORE PRVDENTISSIMO.

An vnum medicamentum plures habeat facultates?

MIKPOKOΣMOΣ cuius gratia omnia ſublunaria creata, ijs præeſt atque vtitur non ſolo naturę inſtinctu & temerè, ſed cum delectu & ratione. Quæ igitur naturæ ſuæ ſimilia (qualia ſunt ſola dulcia) ſuæque ſubſtantiæ perenni effluxui diſſipabili aſſimilanda obſeruauit, alimenta: quę ſuam naturam alterant, eámque immutant in melius vt καθαρτικὰ & ἀλεξητήρια, vel deterius vt deleteria, φάρμακα: quæ verò inter vtraque media in nos quidem agendo repatiuntur, tandémque cedētia nobis aſſimilantur, alimenta medicamentoſa nuncupauit: itavt alimenti ratio in perpeſſione, medicamenti in actione conſiſtat. Actionis huius, cuius cauſſa facultas, facultatis principia ſunt, origo triplex, temperies, conſiſtentia, & totius ſubſtantiæ proprietas.

TEMPERIEI, quæ qualitatis vnius vel duarum exuperantia, vel συμμετρία omnium qualitatum elementarium dicitur, actio, eſt immutatio noſtri temperamenti, eiuſque vel ſimplicis, vel compoſiti, à qua calidum exiſtit vt piper, frigidum vt mandragora, humidum vt oleum, ſiccum vt aqua marina: ex quibus quatuor quoque prodeunt coniugata. Quoniam autem non vna eſt medicamentorum vis, & æque valida facultas, quatuor eorum ordines non parua latitudine diſtantes vſus diſtinxit: In primam claſſem ea referuntur, quæ obſcurè necdum manifeſtè agunt vt chamęmelum, roſa: in ſecundam quæ iam manifeſtè vt arthemiſia, lactuca: in tertiam quæ vehementer vt ruta, ſemperuiuum: in quartam quæ ſummè atque extremè, vt quæ in calidorum genere deurunt eſcharámque moliuntur, in frigidorum quæ νάρκωσιν: ſic de humidis ſiccíſque ſentiendum.

SECVNDA medicamentorum facultas qualitatum vi perfuſa, à conſiſtentia emergit, craſsâ atque lentâ, quæ hæret ac ſubſiſtit, nec altè penetrat: tenuî tum in corpus, tum in humores meabili: tertiâ mediocri ambarum vires medias ſortitâ; in quamcumque autem materiam calor inciderit, agendi vim ac celeritatem auget, frigus cohibet atque reprimit. Harum duarum inæqualitas ceu differentia duobus criteriis internoſcitur, experientia & ratione. Experientia quæ eſt rerum, quæ ſemper & vno modo fiunt obſeruatio, duabus cautionibus nititur, prima vt medicamentum ſimplex ſincerúmque diutiùs hæreat: altera vt homo in quo experientia fieri debet, ſit ſanus, aut ſimplici affectu laboret. Sic enim propria facultas ab accidentaria diſtinguetur. Ratio coniecturis vtitur à ſapore, odore, colore repetendis. Saporis differentias nouem non plures guſtus notauit, tres calidos acrem, amarum, ſalſum: totidem frigidos acerbum, auſterum, acidum: interiectos tres dulcem, pinguem, inſipidum.

HORVM vt varia temperies & conſiſtentia, ita & variæ medicamentorum facultates: ῥυπτικὰ cichorium, abſinthium, hordeum: ἐμπλαστικὸν albumen oui: λεπτυντικὰ, acetum piper: παχυντικὸν malicorium. ἀναστομωτικὸν abſinthium: συνακτικὰ fructus immaturi: μαλακτικὸν ammoniacum: σκληρυντικὸν lens paluſtris: χαλαστικὸν butyrum: στυπτικὸν rheum, cydonium: ἀραιωτικὸν chamæmelum: πυκνωτικὰ aizoum, bolus armena: παχυντικὸν aloë: λειωτικὸν albumen oui: ἐμετικὸν elleborus albus: κεφαλικὸν λεπτυντικόν: ὑπνωτικὰ roſa, hyoſciamus: πνευμονικὰ tragagantha, mirrha, papauer, zinziber: καρδιακὰ meliſſophylum, viola, nymphęa, vniones: στομαχικὰ cydonium, ceraſium, ſaluia, coriandri ſemen. Ἡπατικὰ intybus, agrimonia, adiantum: σπληνικὰ capparis radix, chamędris: διουρητικὰ aſarum, caricæ, lithoſpermum, adiantum: ὑστερικὰ nymphæa, parthenium, corallium, moſcus: ἀνώδυνα ἀραιωτικὸν & ναρκωτικόν: ἀποκρουστικὰ frigida omnia: ἑλκτικὰ euphorbium, anagallis: πιαστικὸν butyrum: ἴσχαιμα adſtringentia: ἐπουλωτικὸν τὸ παχυντικόν: σηπτικὸν arrhenicum: ἐσχαρωτικὸν acerrimum. Ex odore incerta, ex colore & tactu fallax, plerúmque ducitur coniectura.

EST & alia ἄλογος, à principio formali oriunda, quæ aliam noſtræ naturæ alterationem inducit, quàm temperiei aut materialis qualitatis, totius ſubſtantię proprietatem appellant, ſolo effectu medico eóque duplici dignoſcenda: alteratione quæ vel noxia, toti corpori aduerſatur vt venena, vel parti vt cantharides veſicę, vel vtilis qualis eſt ἀλεξητήριν: tractione aut intus genitorum, purgantium eorúmque calidorum, bilis rheo, pituitę agarico, melancholiæ epithimo: aut τῶν ἔξωθεν vt dictamno tela infixa extrahendi: ſic vngula alces appenſa collo epilepſiam auertere creditur. Harum pleræque cùm à primis & ſecundis facultatibus eſſent repetendę, imprudenti medico occultam fallaci credulitate imponunt. Nullum enim medicamentum eſt quod tribus his principiis non conſtet (quorum duo priora cognitu facilia, poſterius difficilius) licétque calidum, frigidum, ſalutare, noxium medicamentum, facultate ſua nos immutare non poteſt, quin priùs tacita illa, & otioſa vis à calore noſtro ſuſcitetur, & in actum proferatur.

Ergo vnum medicamentum plures habet facultates.

Proponebat PETRVS VERNEY BVRGVNDIO DOLANVS Anno Domini 1601.